



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 54. Cæsaris epsitola ad colloquii Theologos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1546.

§. LIV.

*Cæsaris epistola ad colloquii Theologos.*

*Steid. p. 557.* Hisce quæstionibus interea agitatæ die decima quinta Februarii allatæ sunt Cæsaris literæ, in quibus hæc significabat: I. *Inter Præsides recipiatur Julius Pflugius Episcopus Naumburgicus, nec Collocutorum, aut Auditorum numerus augetur extraordinariis, nec etiam alii, quam quos Præsides delegissent, tabelliones acta describant.* II. *Omnes iurejurando silentium promittant, nec ulli mortalium aliquid enuntient de rebus colloquii prius, quam ad Cæsarem, & Ordines Imperii relatum sit.* III. *Ea, de quibus convenit, subscribantur ab utrisque, controversa vero paucissimis verbis, & summis tantum sententiis utriusque partis recitatis annotentur, & tabellionibus tradita serventur.*

Perlecta Cæsaris epistola Protestantes deliberandi spatium postulantes altera die hæc in responsis dederunt:  
„Tertium hunc Præsidem acceptare non  
„recusamus, dummodo id etiam nostris  
„Principibus probetur, dein petimus,  
„ut nostra responsa, cum nondum sint  
„absoluta, perficere nobis liceat, cum  
„ætaque in colloquio Ratisbonensi acta  
„in tabulas referantur. Præterea po-  
„stu-

„stulamus, ut Joanni Pistorio munus  
 „Scribæ relinquatur, nec multæ quæ- Sæc. XVI.  
 „stiones inter disputandum uno tempo- A C. 1546.  
 „re confundantur. Ceterum tam stri-  
 „ctum de rebus gestis silentium promit-  
 „tere haud possumus, eoquod in man-  
 „datis habeamus, ut nostros Principes  
 „subinde de colloquii statu certiores  
 „reddamus.,,

§. LV.

*Colloquium re infecta solutum.*

Cum igitur Præsides probe intellige- Cochl. p. 314.  
 rent, quod Protestantes Cæsaris  
 mandatis sese subjicere omnino recusa-  
 rent, datis ad eundem literis, quid hac  
 in re agendum, sciscitabantur; attamen  
 Saxoniae Elector, nequidem expectato  
 Cæsaris responso, suos Theologos revo-  
 cavit, ac die vigesima Martii Bucerus  
 quoque, ut gesta Landgravio referret,  
 discessit, non sine ingenti Præsidium tæ-  
 dio, qui ceteros haud ultra detinere po-  
 terant.

§. LVI.

*Martini Lutheri obitus.*

Cum interea hæc colloquia haberen- Sleid. p. 563.  
 tur, Protestantium factio præci- Pallav. hist.  
 puum suum amisit caput Martinum Lu- Trid. l. 6.  
 therum, qui Islebiæ in patria sua die de- c. 10.  
Cochl. l. 6.  
Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. G g ci-